



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VII. Vtrum in Christo fuerit timor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

rum tristem, sed solum velle docere eum non futu-
rum morosum, & in conversatione difficilem, sed
placidum & tranquillum, quam animi tranquillita-
tem & constantiam manifestavit serenitate vul-
tus. vide Sanchez qui versionem 70. optimè cum
vulgari conciliat.

D V B I V M.

*Utrum Christus secundum voluntatem
fuerit tristatus?*

RATIO dubitandi est, quod summum gau-
dium habuerit in voluntate, quod nullo mo-
do se compatiatur cum tristitia. quamvis enim ali-
quale gaudium secum admittat tristitiam, tamen
summum, quale est beatorum, ita explet volunta-
tem vt nullam tristitiam admittat etiam de alio
obiecto.

Caiet. infra q. 46. art. 7. indicat in Christo non
fuisse tristitiam voluntatis, cuius sententia videtur
fuerit S. Th. art. precedenti ad 3. vbi videtur indi-
care dolorem solum fuisse in appetitu sensitivo; sed
quod delectatio contemplationis sic retinebatur
in mente, quod non deriuabatur ad vires sensibiles,
ne per hoc dolor sensibilis excluderetur, quo dis-
cursu omnino videtur indicare Christum nullum
habuisse dolorem in voluntate. est autem eadem
ratio tristitiae.

Sed sententia Caietani est omnino probabilis,
repugnatq; communi Doctorum opinioni. itaque
Resp. & dico Christus non solum habuit tristi-
tiam secundum appetitum sensitivum, sed etiam
secundum voluntatem.

Prob. id precipue videntur intendere Euangeli-
stae, vt patet Matth. 26.

1. in 6. synodo generali actione 4. ex similibus
motibus probatur duas in Christo fuisse volun-
tates.

3. Christus tristatus est de peccatis Iudeorum, v.
g. blasphemiam, negatione Petri, paucitate saluandorum,
de peccato vt est Dei offensa, &c. quæ & simi-
lia non possunt directe attingi ab appetitu sensiti-
uo, ergo à rationali.

4. Hi affectus voluntatis erant inculpati & ma-
ximè congruebant fini Incarnationis; ergo potue-
runt assumi.

Querunt verò Doctores num fuerit tristatus se-
cundum portionem superiorem voluntatis, an ve-
rò solum secundum inferiorem? pro quo

Notandum licet voluntas vnica sit potentia,
Doctores tamen duas in ea distinguere portiones,
superiorem & inferiorem; hanc vocant cum fertur
in obiectum ex motiuo & rationibus inferioribus,
naturalibus vel moralibus; v. g. si aliquis ametur
quia consanguineus &c. Superiorem autem appel-
lant cum fertur propter rationes æternas & omni-
no sublimiores, atque adeo diuinas, vt cum proxi-
mus amatur quia diuina bonitas id exigit; cum ho-
mo fugit peccatum, quia diuina bonitati repu-
gnat, quia priuat eternam beatitudinem.

Ex his clarè patet quod Christus tristatus fue-
rit secundum superiorem portionem voluntatis,
cum fuerit tristatus de peccato vt est Dei offensa,
seu quod Deus ita per hominum peccata offende-
ret, quod fructus redemptionis ad tam paucos
perueniret.

Ad rationem dubitandi varij variè respondent.
Causus lib. 12. de locis theologicis cap. 14. sub finem

cenfer Deum miraculosè tempore passionis sus-
pendisse gaudium voluntatis, quod naturaliter na-
tum erat sequi claram Dei visionem.

Sed hæc explicatio merito communiter displi-
cet, quia si non potuisset tritari sine suspensione
delectationis beatificæ, ea fuisset sapius suspenden-
das quod non videtur vilo modo probabile. 2. si sit
recurrendum ad miraculum, res æquè commodè
potest aliter explicari, vt iam videbimus.

Resp. ergo licet tristitia etiam remissa natura-
liter non compatiatur sese cum summo gaudio,
quale fuit beatificum; posse tamen se supernatura-
liter compati, quando est de alio obiecto, vel sub
alia ratione formali. Quamvis ergo anima Christi
summè gauderet de Deo eiusque bonis, & gau-
dium illud ita voluntatem expleret vt naturaliter
nullam tristitiam etiam de alio obiecto posset per-
cipere, vt patet in animabus beatis, quæ nullis suo-
rum casibus tritari possunt; tamen supernaturali-
ter factum est vt cum tali gaudio tristaretur de rui-
na damnandorum, de offensis in Deum commissis,
de morte vt est naturæ aduersa; quamvis gauderet
de eadem quatenus per eam voluntatem Patris ad-
impleret, vel genus humanum redimeret.

Porro anima Christi relicta est capax tristitiæ, vt
etiam ea ratione pro nobis satisfacere, & vt nobis
posset compati.

Ad id quod ex S. Tho. affertur Resp. eum non
negare Christum secundum voluntatem trista-
tum, sed solum explicuisse clarum modum quo tri-
stitia potuerit esse in appetitu sensitivo, quod pe-
tebat argumentum, de cætero infra q. 46. art. 7. &
8. indicat passum secundum voluntatem, scilicet
tristitiam.

ARTICVLVS VII.

Utrum in Christo fuerit timor?

RESPONDET affirmatiuè, patet Marci 14.
capit. Iesus pavere & cadere, quæ verba possunt
accipi in propria significatione, in qua denotant ti-
morem verè fuisse in Christo, & ita passim sen-
tiunt Doctores, traduntque varij Patres. videri
possunt Ambr. libr. 2. de fide cap. 3. Leo 1. sermo-
ne 7. de passione domini. Damasc. libr. 3. de fide
cap. 23.

Prob. ratione timor oritur ex apprehensione
mali futuri, estque affectus inculpatus. cum ergo
Christi anima apprehenderit mortem tanquam
aliquid malum & naturæ contrarium, potuit in se
timoris affectum excitare.

Contra Obijciunt 1. malum quod nullo modo
vitari potest non videtur posse timeri; cum incerti-
tudo euentus sit de ratione timoris.

Resp. negando assumptum, quamvis enim
communius timori coniuncta sit aliqualis spes
mali vitandi, & incertitudo euentus, ea tamen
non sunt necessaria ad rationem timoris, cum ali-
quid non desinat esse malum ex eo quod sciatur
certò euenturum, quemadmodum spes non per
hoc eliditur quod certò sciatur bonum euentu-
rum, vt patet in animabus Purgatorij, in quibus
est spes beatitudinis; & licet id quod nequit evita-
ri non ita timeatur vt voluntas efficaciter mo-
ueatur ad quærenda remedia contra malum im-
minens, illud tamen potest timeri per simpli-
cem fugam voluntatis & appetitus seu horri-
rem.

Responso
Cani rejci-
tur.

Resp. Au-
doris.

38.

Cur anima
Christi re-
licta sit ca-
pax tristi-
tiæ.
Explicatur
S. Thom.

Resp. affir-
matur. 14.
39.

Ambr.
Leo.
Damasc.

Obiectio 1.

Resp.

40.
Timori po-
test malum
inevitabile.

Replica.

Dices tale malum censetur quodammodo praesens, & potius parit tristitiam.

Diluitur.

Resp. illud verè esse absens, & vt tale iudicari, quamvis simplici apprehensione concipiatur quodammodo vt praesens. licet ergo propter posteriorem considerationem possit parere tristitiam, tamen propter priorem potest verum timorem parere.

Obiectio 2.

Obijciunt 2. quod timor repugnet fortitudini, vnde sancti Patres videntur illum à Christo excludere. Videri potest Hilarius lib. 10. de Trinitate in principio, vbi dicit; *interrogo eos qui in existimant an ratione subsistat vt mori timuerit, qui omnem ab Apostolis mortis timorem expellens ad gloriam eos sit martyrii adhortatus.* Aug. qui exposit. p. 2. in Psal. 21. dicit Christum non verè timuisse pati, cum sciret se die tertio resurrecturum, sed propter membra sua verba illa protulisse, quae timoris speciem pra se ferrent.

Resp.

41. Timor voluntariè assumptus non repugnat fortitudini.

Resp. timorem voluntariè assumptum nullo modo repugnare fortitudini, sed eum qui necessariò nobis inuitis ita oritur, vt rationem praedueniat, & voluntatem alliciat, vt à recto deflectat, & dimoveatur ab officio. Priorem inuentum in Christo, non verò posteriorem, quem solum negant Patres, qui solum volunt Christum non ita timuisse, vt inuoluntariè fuerit timore abreptus. alioquin nolunt eum non excitasse in se timorem, quo simplici motu refugeret mortem vt naturae contrariam, cum ad demonstrandam veritatem naturae humanae & acerbiter malorum imminentium deceret huiusmodi affectum assumi.

Obiectio 3.

Obijciunt 3. Christus facile poterat quolibet mala euitare; ergo nihil debebat timere, cum timor non sit de malo quod facile vitari potest.

Resp.

Resp. neg. conseq. licet enim ratione diuinæ potentiae potuisset facile quoduis malum euitare, nihilominus per virtutem naturae humanae sibi relictae non poterat, atque ita sibi relicta potuit multa mala timere.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in Christo fuerit admiratio?

42.

Resp. affirm.

Matth. 8.

Luc. 7.

Admiratio quid.

Esse potest actus intellectus, & voluntatis.

RESPONDET fuisse. patet Matth. 8. audiens Iesus miratus est. Luc. 7. quo audio Iesus miratus est.

Notandum admirationem vel esse actum intellectus quo aliquis iudicat rem superare suam notitiam, vel saltem esse suae experientiae insolitam, vel esse affectum proximè consequentem tale iudicium. Quos actus in nobis alij varij communiter consequuntur, v. g. desiderium rei peruestiganda, si non appareat incomprehensibilis, vel fuga perferuntationis eiusdem, si appareat nimis ardua, &c. in quibus tamen actibus propriè non consistit admiratio, quamquam per illos vel similes tanquam per effectus notiores interdum deferbatur.

43.

Negant aliqui in Christo fuisse.

Ex his oritur controuersia, an in Christo propriè fuerit admiratio? Quidam enim negant, quia nihil erat Christo insolitum, cum rerum omnium haberet notitiam; nec similiter poterat quidquam illi esse magnum. Cum verò dicitur miratus, censent scripturam ita loqui, quia Christus ita exteriùs se gessit, sicut ij qui mirantur.

Alij affirm.

Alij tamen censent verè interiùs fuisse miratum, quod videretur sentire S. Tho. hic, quia proprietates verborum scripturae id exigit, & potest commodè explicari qua ratione in eum admiratio cadere potuerit: quamvis enim nihil lateret eius scientiam;

Ratio.

potuit tamen aliquid esse insolitum eius experientiae, & respectu illius esse magnum, quod sufficit ad admirationem; nam astrologus videns insignem & raram eclypsim etiam quam diu ante praecinerat futuram, potest mirari, consimili ergo ratione Christus experiens tam illustrem fidem Centurionis potuit mirari tanquam de re cui nondum similem viderat.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in Christo fuerit ira?

44.

AFFIRMAT, ex illo Marci 3. circumspiciens eos cum ira. Item ex eo quod secundum ordinem iustitiae potuerit appetere vindictam iniuriae Patri & sibi illatae.

Resp. affirm. Marci. 3.

ARTICVLVS X.

Vtrum Christus simul fuerit viator & comprehensor?

AFFIRMAT.

Posterior patet ex q. 9. art. 2. vbi ostensum est illum habuisse scientiam beatam, & Deum clarè vidisse; quod etiam ostensum est q. 10. fuit ergo comprehensor secundum animam.

Resp. affirm.

Quod autem fuerit etiam viator, patet ex dictis q. precedente, & praesenti, vbi ostensum est variè fuisse passibile tum ex parte corporis, tum ex parte animae; ex quo sequitur quod fuerit viator, cum esse passibile sit proprium viatoris; idque praecipue intendit S. Th. praesenti articulo, scilicet postquam ostendit Christum varios defectus animae & corporis suscepisse, concludere illum cum in hac vita mortali ante passionem ageret fuisse viatorem. quod est de fide, & patet ex merito eius (de quo in sequentibus) quod praesupponit statum viatoris.

Est de fide fuisse viatorem.

QUESTIO XVI.

De consequentibus unionem quantum ad ea quae conueniunt Christo secundum esse & fieri.

PRESENTI quaestione D. Tho. explicat quasdam formas loquendi supposita veritate mysterij Incarnationis in superioribus exposita & confirmata.

ARTICVLVS I.

Vtrum haec sit vera, Deus est homo?

45.

REIECTIS variis haeresibus circa substantiam huius mysterij; de quibus egimus partim q. 2. partim q. 5. & supposito quod per hoc mysterium duae naturae diuinae scilicet & humana in vnā personam conuenerint.

Respondet affirmatiuè. Ostendit nomen significans naturam communem in cōcreto potest supponere pro quolibet cōtentorum sub natura communisigitur & hoc nomen, Deus, potest supponere pro persona Filij Dei, de quolibet autem supposito alicuius

Resp. affirm.

De quolibet supposito alicuius